

Patribus, qui hanc generalem gratiæ communicationem quoad adultos, non solum in causis extrinsecis et universalibus, sed etiam in internis auxiliis et inspirationibus constituunt. Prosper enim, lib. 2 de Vocat. gent., cap. 26, alias 9, cum descripsisset externas et internas gratias, quibus Deus homines vocat, subiungit: *Quæ opitulatio per innumeros modos, sive occultos, sive manifestos, omnibus adhibetur, et quod a multis refutatur, ipsorum est nequitia; quod autem a multis suscipitur, gratiæ est divinæ et voluntatis humanæ; et in eodem sensu, in cap. 4, alias 1, de reprobis dixerat: Qui quidem in comparatione electorum videntur abjecti, sed nunquam sunt manifestis occultisque beneficiis abdicati; et cap. 5, alias 2, cum dixisset, tam in populo Dei quam in gentibus, neminem fuisse justificatum, nisi per spiritum gratiæ, subnectit statim: Quæ etsi parcius antea atque occultior fuit, nullis tamen sæculis se negavit, virtute una, quantitate diversa, consilio incommutabili, opere multiformi; et apertissime c. 23, alias 8: Circa majores (inquit), præter generalem gratiam parcius atque occultius omnium hominum corda pulsantem, etc. Eandem sententiam indicant Fulgentius, Paulus Orosius et alii Patres supra allegati, et in eadem fuisse Augustinum infra ostendemus.*

17. *Posterior modus explicandi sufficientiam auxiliorum gratiæ. — Ex sacra Scriptura, Joan. 1. — Ex sanctis Patribus, Prospero, etc. — Alter igitur modus explicandi sufficientiam hanc, est quem indicant verba illa Joannis 1: Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quæ verba (ut supra dixi) de illuminatione interna et supernaturali Patres intelligunt, et omnibus hominibus adultis generaliter, quantum est ex parte Dei, communicari sentiunt. Juxta quam interpretationem, etiam illis infidelibus quibus Evangelium, vel fides per homines prædicata non est, Deus providet modum quo illuminentur et excitentur sufficienter ad fidem, si per eos non steterit, vel extraordinario modo providendo ut ad illos prædicatores mittantur, vel ministerio Angelorum eos docendo, vel per seipsum illos interius illuminando et vocando, ut sic etiam in omnibus hominibus illud Apocalyps. 3 locum habeat: Ecce sto ad ostium, et pulso; quam sententiam non obscure indicat Prosper locis citatis, et specialiter cap. 23, etiam de parvulis ait, ad aliam pertinere gratiæ partem, quæ universis semper est impensa nationibus; et addit: Qua utique si*

bene eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur. Ergo supponit adultis parentibus in seipsis datam esse sufficientem gratiam, qua bene uti potuissent, et per eam non solum salutis propriæ, sed etiam infantium providere. Unde sicut parentibus imputatur filiorum desertio, ita multo magis unicuique adulto imputandum est quod fidei lumine caruerit, et ita Dionysius, cap. 9 de Cœlest. Hierar., dixit: Non recte imputari gubernatoribus Angelis, si gentes aliæ ad falsorum deorum cultum devolute sunt; sed illis ipsis qui, motibus propriis, a recto calle quo ad Deum ascendere possent, sua sponte deviarunt. Fuissent ergo per Angelos instructi, nisi ipsi impedimentum posuissent; unde infra dicit: Divini luminis pelagus paratum semper est, et patet omnibus ad participandum; et infra: Nunquam præfuerunt alicui alicui dii, sed unum illud omnium, ac singulare principium, ad quod sane obsequentes ducebant Angeli præfecti singulis gentibus. Eodemque modo Irenæus, lib. 4, cap. 71, ait Deum dedisse omnibus liberum arbitrium, cui vim non infert; sed bona (inquit) sententia adest illi semper, utique ex parte Dei illuminantis, et inspirantis illam; hoc est enim quod subiungit: Et propter hoc consilium quidem bonum dat omnibus; posuit autem in hominum potestate, electione, etc.; et idem sentiunt alii Patres supra relati, ubicumque de hoc generali gratiæ communicatione loquuntur.

18. *Probatur ratione. — Ratione potest hoc breviter ostendi a sufficienti partium enumeratione, quia etiam hos infideles nunquam exterius vocatos ad fidem per ministerium hominum, Deus vult salvare, quantum in ipso est, non obstante originali peccato; imo ab hoc ipso peccato vult illos eripere propter Christum; ergo aliquo modo illis contulit sufficientiam media: at non contulit in solis causis universalibus, nec solum per alios homines, ut ostensum est; ergo necesse est ut illis in seipsis auxilium hoc sufficiens conferat, vel proxime, vel remote, vel saltem in eorum potestate illud constituat, ut, si contingat illud non recipere, revera per illos stet, et non per Deum, nec per solam naturalem aliquam impotentiam id eveniat: quomodo autem hoc intelligendum sit, et qualiter difficultatibus in contrarium occurrentibus sit satisfaciendum, in sequenti capite explicabimus.*

CAPUT XII.

DIFFICULTAS CIRCA SUPERIOREM DOCTRINAM PRO-
PONITUR, EJUSQUE OCCASIONE TRACTARI INCI-
PIT AXIOMA ILLUD: *Faciendi quod in se est
Deus non denegat gratiam.*

1. *Proponitur difficultas. — Probatur ex Concilio Arausicano. — Et Tridentino. — Ex dictis in fine præcedentis capituli difficultas nascitur, quæ est una ex potissimis hujus materiæ, et his temporibus valde controversa. Nam videtur ex dictis sequi, Deum expectare voluntates hominum ut eos ad fidem excitet, et consequenter dare illis hanc priorem gratiam excitantem ex bono usu liberi arbitrii naturali; hoc autem est incidere in errorem damnatum Semipelagianorum; ergo. Sequela patet, quia Deus non dat omnibus his infidelibus hujusmodi excitationem supernaturalem ad fidem, quia revera multi eorum sunt qui nec exterius audierunt, nec interius senserunt motionem ad fidem, nec aliquam rerum fidei apprehensionem habuerunt, et nihilominus dicitur Deus paratus esse ad dandum eis hanc excitationem, et per eos stare quod illam non accipiunt, et hoc modo dicuntur accipere a Deo auxilium sufficiens ad credendum quantum est ex parte Dei; ergo aliquid Deus expectat ex parte illorum, ut eis hanc gratiam conferat; nam si nihil expectaret, omnibus indifferenter daret: falsitas autem consequentis probatur, primo ex Concilio Arausicano, can. 4: *Si quis, ut a peccato purgemur, voluntates nostras Deum expectare contendit, resistit ipsi Spiritui Sancto, loquiturque de expectatione quoad primam gratiam, qua præparatur voluntas a Domino, ut statim declarat, nam ad infusionem subsequentis gratiæ, et formalem remissionem peccati, non est dubium quin Deus expectet voluntates nostras cooperantes vocationi suæ, ut postea dicemus libro sequenti. Secundo, idem probatur ex Concilio Tridentino, sess. 6, cap. 5, dicente initium justificationis sumi a vocatione Dei, qua nullis præcedentibus meritis Deus hominem excitat. Si autem Deus expectaret hominis voluntatem, jam aliquod meritum ex parte hominis præcederet. Tertio, quia initium supernaturalis sanctificationis esset ex nobis, non ex Deo, quia præcederet ex parte hominis aliqua ratio totius justificationis.**

2. *Error Semipelagianorum. — In hoc puncto*

occurrebat imprimis tractandus error Semipelagianorum, dicentium Deum vel semper, vel saltem interdum, vel in aliquibus hominibus expectare aliquem bonum usum liberi arbitrii, ut opus gratiæ in illis facere incipiat, sive expectet usum illum, ut meritum perfectum, vel imperfectum, vel impetratorium, sive ut aliqualem dispositionem et rationem, propter quam opus gratiæ incipiat, nam a tali dispositione vel ratione non potest aliqualis ratio meriti, licet imperfecti, separari: cujus erroris auctores et sensum in lib. 1, cap. 15 et 16, pro viribus, explicavimus. Circa illius autem impugnationem, necesse non est multum in præsentem immorari, tum quia expresse damnatus est in Concilio Arausicano, fere per omnes canones, et in Tridentino, sess. 6, cap. 5; tum quia, in dicto loco, loca Augustini et Prosperi, aliorumque Patrum retulimus, qui ex professo errorem illum impugnant; tum præterea quia, in libro 2 de Prædest., cap. 6, ex professo errorem illum impugnavimus; tum denique quia in his quæ cum Catholicis disputabimus, afferemus omnia quæ pro hoc errore vel contra illum desiderari possunt.

3. *Doctorum Catholicorum sententia affirmans Deum dare aliquibus primum auxilium ad fidem excitans, intuitu boni operis naturalis, aliis minime. — Omissis ergo Semipelagianis, multi ex Catholicis Doctoribus, antiquis et modernis, docuerunt Deum aliquibus conferre fidem, vel vocationem, et primum auxilium ad illam excitans, intuitu alicujus boni operis naturalis ex viribus nature facti: aliis vero non dare tale auxilium, quia nullo modo per bona opera naturalia ad illud se disponunt; quam sententiam olim docuit D. Thomas 2, d. 27, q. unica, art. 4, ad 4, ubi sic ait: *Etiam ad fidem habendam aliquis se præparare potest per id quod in ratione naturali est; unde dicitur quod si aliquis, in barbaris natus nationibus, quod in se est facit, Deus sibi revelabit illud quod est necessarium ad salutem, vel inspirando, vel doctorem mittendo, ubi aperte ante omnem excitationem ad fidem ponit præparationem hominis, si faciat quod in se est per lumen rationis naturalis, et ita intellexit locum illum D. Thomæ Cajetanus 1. 2, quæst. 109, art. 6. Idemque D. Thomas in eodem 2, d. 5, quæst. 2, art. 1, explicat illud axioma, de faciente quod in se est, per vires solius liberi arbitrii, et apertissime quæst. de Verit., art. 11, ad 1, ubi sic inquit: *Si aliquis in sylvis nutritus ductum rationis naturalis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certis-***

sime est tenendum quod Deus ei, vel per inter-
nam inspirationem revelaret necessaria, vel ad
eum prædicatorem dirigeret. Et idem fere dicit
in solutione ad 2, quem locum ad hoc ipsum
allegat Victor., Relect. de perveniente ad
usum rationis, p. 3, num. 14.

4. Sancti Bonaventura, Gabriel, et alii anti-
tiqui Theologi. — Eamdem sententiam indicat
Bonaventura 3, d. 25, art. 1, quæst. 2, ad ult.;
et Gabriel, dict. 24, art. 3, dub. 1, in fine;
clarius Durandus, 3, dict. 25, quæst. 1, num. 9;
latius Alens., 2 part., quæst. 112, membr. 8,
casu 2, et 3 part., q. 61, alias 69, membr. 5,
art. 3, ubi querit an facienti quod in se est
infallibiliter detur gratia, et respondet affir-
mando; in solutione autem ad 6, distinctius
explicat dupliciter posse hominem facere quod
in se est, vel ante fidem, vel post illam; et
omisso nunc posteriori membro de priori ait:
*In quolibet homine per naturam est ratio recta,
et hæc rectitudo est notio boni indita a crea-
tione; et infra: Si ergo secundum istam notio-
nem operetur homo suo arbitrio, recurrendo ad
illum quem scit suum esse principium, et quem
scit esse orandum sibi, et petat ab eo lumen
cognitionis fidei et boni, dabitur ei, et sic faciet
quod in se est.* Et nihilominus ibidem, in so-
lutione ad 1 et 3, ait gratiam quæ sic datur
facienti quod in se est, mere gratis ac liberali-
ter, et non ex merito dari. Citatur etiam Alti-
siodor., lib. 3 Summæ, tract. 2, cap. 1, q. 5;
sed ibi, licet indistincte approbet illud axi-
oma, non declarat hunc sensum; rationes ta-
men quibus utitur possunt ad illum applicari,
et in fine quæstionis addit, licet Deus det gra-
tiam facienti quod in se est, nihilominus sæpe
dare illam non facienti quod in se est; quod
non potest esse verum de gratia sanctificante;
loquitur ergo de gratia auxiliante. Allegatur
etiam Albert., in 2, d. 28, art. 1, ad 4; sed
ibi indistincte loquitur, et magis videtur de
dispositione ad charitatem obtinendam loqui;
apertius id docet ibi Richard., art. 1, quæst. 2,
dicens posse hominem per sua naturalia, cum
sola generali motione primi moventis, quam
supponit quælibet actio creaturæ, se dispo-
nere remote ad gratiam gratum facientem,
quia dum suo libero arbitrio recte utitur, se
disponit ad gratiam; necesse est ergo ut proxime
se disponat ad aliquam saltem auxiliantem
gratiam, quam sententiam refert et probat
Nicolaus de Orbellis in 3, d. 27; et multi
alii Scholastici antiqui eodem modo locuti
sunt, ponentes dispositionem aliquam ex natu-
rali usu bono liberi arbitrii, saltem remotam

ad gratiam sanctificantem, et consequenter
proximam ad auxiliantem, ut Gabriel, Ocham,
Scotus, Durandus, quos retuli in lib. 2 de
Prædest., capite decimo-septimo.

5. Ex recentioribus Theologis, Thomistæ,
Soto, Medina, etc. — Præterea, ex recentiori-
bus Theologis, nonnulli sententiam hanc eo-
dem modo explicatam approbant; ex Tho-
mistis quidem Soto, 4, d. 4, quæst. 2, art. 3,
§ Ad argumentum, ait: *Respondetur ob id
Deum gentes condemnasse, quod Deum, quem
naturali lumine cognoverant, non subinde qua-
liter jus naturæ jubebat coluerint; quod si jus
illud naturæ servassent, Deus illis altiori fidei
radio affulsisset ut possent salvi fieri.* Similia
habet lib. 2 de Natura et Grat., cap. 12, in
fine. Consentit Cano, Relect. de Sacramentis
in genere, part. 2, ad 1 et 2; nec dissentit
Victor., ubi supra. Medina 1. 2 varie loquitur,
nam in quæst. 88, art. 6, in solutione cujus-
dam secundi argumenti, prius videtur negare
illud axioma: *Facienti quod in se est, etc.*, in-
tellectum de faciente quod in se est per vires
naturæ, et nihilominus statim addit: *Si infi-
delis qui Evangelii notionem non habet, ut puer
educatus in sylvis, perveniens ad usum ratio-
nis, bene utatur naturali ratione, Deum illumi-
naturum esse illum, et hanc regulam ponit ut
certam, ex illo principio quod Deus dat omni-
bus sufficientia media ad salutem; in quæstio-
ne autem 109, art. 6, dub. 3, ad 2, prius idem
dicit de puero perveniente ad usum rationis,
videlicet infallibiliter illuminari ad fidem, si
quod in se est facit per lumen rationis; et
addit hoc esse revelatum in sanctis Scripturis,
et inferius dicit esse probabile illud axioma:
Facienti quod in se est, etc., intellectum per
vires naturæ, et postea dicit contrarium esse
probabilius; quæ videntur repugnantia; nam
si est sermo de gratia habituali et justificante,
non solum est probabilius, sed certum, non
dari infallibiliter ei qui facit quod in se est,
per vires naturæ, neque contrarium est pro-
babile, ut infra suo loco dicitur; si vero est
sermo de gratia actuali illuminante, quomodo
est revelatum in Scriptura quod puer ille bene
utens ratione illuminabitur inspiratione fidei,
si illud axioma non est verum et certum in die-
to sensu? Constantius ita intellexit axioma il-
lud; Viguerius in Instit. Theolog., c. 10, § 4,
dicens auxilium Dei paratum esse facienti
quod in se est, id est, si cesset a peccato, et
anhelet ad bonum rationis.*

6. Eamdem sententiam docet Vega, lib. 13
in Trident., cap. 12, via 3, in fine; et idem

probat nullum viatorem destitui auxilio suffi-
ciente, quia nullus viator est qui non possit
bene uti viribus suis; ei autem qui hoc fece-
rit, Deus, qui nemini deest, auxilium sine du-
bio præstabit sufficiens ad obtinendum bona
supernaturalia. Idem late Corduba, lib. 2 de
Ignorant., quæstion. 4, per totam, præsertim
ad quoddam tertium argumentum; et viden-
dus etiam est quæst. 5, ad 4, ubi ait axioma
illud in eo sensu esse communiter receptum.
Præterea sententiam illam in dicto sensu in-
tellectam, et piam esse, et ab omni suspitione
Pelagiani erroris alienam, docent Driedo, de
Capt. et redempt. gener. humani, tract. 2,
cap. 5, part. 2 illius ad 2 et 3 quæst., et libro
de Concord., d. p., c. 3, longe a principio; et
Ruard., art. 7, § Doctores; eisdem pene ver-
bis Molina in Concord., disp. 9 et 10.

7. Hæc sententia verum esse supponit hoc
axioma: *Facienti quod in se est, Deus non de-
negat gratiam. — Tribus modis potest intelligi
hoc axioma. — Primus modus, ex D. Thoma.*
— Fundamentum hujus sententiæ supponit
axioma illud: *Facienti quod in se est, esse ve-
rum in aliquo sensu, et quasi per se notum in
Theologia, et ideo breviter circa illud notare
oportet, tribus modis posse intelligi, juxta tri-
plex gratiæ significatum; potest enim intel-
ligi de gratia habituali, vel de actuali conco-
mitante seu adjuvante, vel de actuali prævia
seu excitante. Primo modo intellectum est
illud axioma a D. Thoma 1. 2, quæst. 109,
art. 6, et quæst. 112, art. 3; et in eo sensu
dicit non esse intelligendum de faciente quod
in se est per solas vires naturæ, sed per vires
gratiæ auxiliantis, excitantis et adjuvantis, et
sic intellectum esse verum, priori autem mo-
do esse falsum; quæ doctrina vera et certa
est, ut infra libro de Justificat. ostendemus;
hic autem sensus nihil ad præsentem causam
refert, quia non de habituali gratia, sed de
actuali auxilio tractamus; est autem adver-
tendum D. Thomam in illis locis ita princi-
pium illud exposuisse, quia de gratia habi-
tuali tractabat, et de illa objectum fuerat; non
tamen alios sensus excludit, nec illos ibi at-
tingit, quia necessarii non erant.*

8. Secundus, ex Alensi. — Secundo modo
intelligi potest in illa propositione nomine
gratiæ, auxilium gratiæ cooperantis cum libe-
ro arbitrio; quem sensum indicavit Alens.,
3 part., quæst. 61, membr. 5, art. 3, ad 5, et
respectu talis gratiæ facere quod in se est, non
est præparari ad talem gratiam, neque aliud
prævium aliquod facere, quo posito talis gra-

tia conferatur, quia nihil prævium satis est ut
gratia cooperans actu nobis infundatur, seu in
nobis operetur, quia præter omnem antee-
dentem dispositionem requirit simultaneam
cooperationem nostram, ut ex dictis in libro
præcedenti constat. Debet ergo intelligi de co-
nato, seu cooperatione simultanea ex parte
hominis, ita ut sensus sit: *Si per hominem
non steterit, et quantum in se est conari vo-
luerit, non deerit illi gratia cooperans, ut sicut
oportet operetur.* Et hic sensus non potest
etiam esse verus de faciente quod in se est,
per vires solas liberi arbitrii; tum quia non
potest illo modo conari ad opus gratiæ coope-
rantis, qui non fuerit excitatus per gratiam
prævenientem, sive excitantem; tum etiam
quia illemet conatus non potest esse naturalis,
sed obediens, quia debet esse a libero ar-
bitrio elevato per gratiam, et cum ejus adju-
torio; debet ergo intelligi de homine vocato
sufficienter, et sensus est, tali homini non de-
futuram gratiam auxilii cooperantis, si iste
simul conari et cooperari voluerit; et in hoc
sensu axioma illud exponit Alensis citato loco,
licet obscure; estque verissimum, quia, ut Au-
gustinus dixit: *Deus præparat voluntatem ad-
juvandam, et adjuvat præparatam;* ad quod
est de se paratus, si per hominem non stet,
id est, si cooperari voluerit, et hoc solum, per
illud axioma sic intellectum, significatur, est-
que verissimum, ut libro præcedenti dictum
est, et in septimo latius dicitur; non solet au-
tem communiter axioma illud in dicto sensu
accipi; sed facere quod in se est, sumitur tan-
quam prævium quod, ex parte hominis antee-
dens ad gratiæ receptionem, et hoc modo illud
nunc accipimus. Unde neque hic sensus inser-
vit instituto, quia non de cooperante auxilio,
quod semper est efficax, sed de sufficiente, et
præveniente seu excitante tractamus.

9. Tertius ex Gersono et Driedone. — Ter-
tio, intelligitur illud principium de gratia ex-
ci ante, quia veræ gratiæ excitantes plures esse
possunt inter se subordinatæ, quarum una sit
prior, seu antecedens, et alia posterior, seu
subsequens. Duobus item modis potest intel-
ligi aliquem facere quod in se est, ut gratiam
excitantem obtineat; primo, bene operando
per priorem excitationem, cum illa et per il-
lam ita faciendo quod in se est, ut ulteriorem
excitantem gratiam obtineat; et hunc sensum
indicat Gerson., 4 p. alphab. 24, litt. M, et
Driedo supra, et satis est communis. Secundo,
bene operando per vires liberi arbitrii, ratio-
ne naturali excitatas, ita ut sensus sit, facien-

tem quod in se est per vires naturæ, excitantem gratiam recipere. In priori sensu admitti potest illud principium, quia in eo supponitur gratia, in qua potest fundari aliqua ratio proportionata ad obtinendum ulterius auxilium, quia semper initium boni operis et totius meriti tribuitur gratiæ, et ratione illius etiam subsequens excitatio est gratia, tanquam gratia pro gratia, quod non repugnat: oportet autem in hoc sensu etiam aliquam limitationem adhibere, ut nimirum inter gratias proportio debita servetur, ut infra in cap. 15 et 16 commodius declarabimus. Verumtamen, nec hic sensus ad rem præsentem facit, quia præcipua difficultas est de infideli nondum excitato, nec vocato per gratiam, quia fidei auditum non habuit, et ita non potest per priorem supernaturalem gratiam, sed per naturales vires operari, ut primam excitationem gratiæ supernaturalis obtineat.

10. *Axiomatis sensus de quo intelligi debet.* — *Probatum hic sensus.* — Est ergo ultimus sensus, ut de prima excitante gratia sit sermo, ante quam non potest homo facere aliquid per vires gratiæ, cum illas non habeat; intelligendum ergo erit axioma de faciente quod in se est per vires naturæ, et in hoc sensu intelligunt Doctores citati illud axioma, cum quibus sentit Gerson., 1 part. alphab. 21, litt. D, dum ait illum facere quod in se est, quia via naturalis rationis facit quod novit. Fundamentum eorum fuisse videtur, quia hic etiam sensus est necessarius, ut verum in universum sit Deum dare omnibus hominibus sufficiens supernaturale auxilium ad salutem, nam multi sunt homines qui tale auxilium actu et in se non recipiunt, cum fidei prædicationem aut revelationem non habeant; ergo, ut Deus aliquo modo det illis tale auxilium, necesse est ut illud offerat homini facienti quod in se est, per eas vires quas habet, nimirum per rationem naturalem et libertatem, quia talis homo alias vires non habet, nec Deus contulit illas, nec aliam viam ad illas obtinendas illi præbuit. Confirmatur: ponamus illum hominem facere quod in se est per vires quas habet; hoc enim non repugnat, cum nihil includat superans potestatem talis hominis: tunc vel Deus dat gratiam tali homini, et habetur intentum, vel non dat, et nunc non per hominem, sed per Deum stat quominus homo ille salvetur, quod dici non potest. Item homo ille non potest juste damnari, quia jam fecit quod potuit. Denique valde consentaneum est bonitati et providentiæ Dei, ut bene utenti viribus acceptis

maiores præbeat, ut progredi possit: et ita hunc universalem sensum indicat Gerson., 2 p. alphab. 24, litt. M, dicens: *Nulli facienti quod in se est, bene utenti donis Dei jam habitis, deest Deus in necessariis ad salutem, sive illa credenda sint, sive operanda sint*; et consonat quod dixit Nazianz., orat. 2 in laudem Basili: *Deo gratum est quod pro viribus efficitur*: ergo piissime et sine inconveniente creditur, in omni statu hominis, viatori facienti quod in se est, per vires quas habet, Deum non denegare gratiam in eo statu necessariam, quia inde non sequitur quod homo mereatur gratiam, sed quod Deus provideat homini necessitatem patienti. Et hæc de hac sententia: prius enim quam de illa iudicium proferamus, aliorum opiniones tractandæ sunt.

CAPUT XIII.

TRACTATUR ALTERA SENTENTIA PRÆCEDENTI CONTRARIA, NEGANS DATAM ESSE A DEO LEGEM DANDI AUXILIUM GRATIÆ FACIENTI QUOD IN SE EST PER VIRES NATURÆ AD SERVANDAM LEGEM NATURALEM.

1. *Sententia negans dari a Deo auxilium gratiæ facienti naturaliter quod in se est.* — *Probatum ex sancto Augustino.* — Quamvis opinio in priori capite tractata nova non sit, nec singularis Molinæ, nec a doctrina D. Thomæ et gravium Thomistarum aliena, ut ibidem satis ostensum est, nihilominus moderni aliqui Thomistæ eam ut Molinæ singularem referunt, et in eam vehementer invehuntur, asserentes contrariam doctrinam esse certissimam, omniumque Thomistarum et aliorum Doctorum, et de mente Augustini, et D. Thomæ, et præcipue negant esse aliquam promissionem a Deo factam, seu legem propter Christum statutam dandi primum gratiæ supernaturalis auxilium homini facienti quod in se est absque auxilio. Ad hoc autem probandum, inducunt Augustinum sæpissime dicentem, ex duobus hominibus æque affectis, Deum unum illuminare, alium non illuminare, solum quia ita sibi placet, quod maxime solet exemplo parvulorum confirmare, in quibus non potest assignari differentia, vel ex parte ipsorum, quia capaces non sunt, nec ex parte parentum, quia, conantibus et desiderantibus parentibus justis et bonis, interdum non possunt baptizari infantes, et e converso, licet parentes sint iniqui et negligentes, Deus providet alium modum quo infans baptizetur et salvus fiat; et idem contingit in adultis, vocat

enim Deus interdum iniquissimos transgressores legis naturalis et convertit; et non vocat moderatos, et servantes ut possunt legem naturalem. Hæc est doctrina et ponderatio trita apud Augustinum in libris quos sæpe citavimus, lib. 1 ad Simplic., quæst. 2, præsertim circa finem epistol. 107, et optime 1 de Peccat. merit. et remiss., cap. 22, et sæpe alias. Ergo Deus, in danda vocatione, vel auxilio excitante, non servat illam legem de faciente quod in se est ante auxilium gratiæ, nam si eam servaret, semper vocaret potius observatorem legis naturæ quam transgressores, et si nullum inveniret servantem illam, vocaret potius minus malum quam nequiores, quia est eadem proportio et ratio; ergo signum est nullam esse talem legem, nam si esset, Deus servaret illam; tum quia non potest negare seipsum; tum quia, respectu Christi, ex justitia obligaretur. Secundo, doctrina Augustini est, et certa, nullum bonum, quod sit initium salutis, posse a nobis fieri per facultatem liberi arbitrii: si autem esset lex a Deo posita, ut facienti quod in se est per liberum arbitrium, daretur auxilium sufficiens, eo ipso bonum aliquod factum ex natura esset initium salutis; ergo, secundum Augustinum, nulla est talis lex a Deo data. Major traditur ab Augustino lib. de Prædest. Sanct. per totum, et lib. 1 contra duas Epist. Pelagian., cap. 8, et quæst. 2 ad Simplic., et aliis innumeris sæpe citatis, et, quod caput est, etiam in Conciliis Arausic. et Trident. definitur. Minor per se nota videtur, quia, posita illa lege, necesse est ut bene utenti libero arbitrio naturali, ratione illius boni usus detur auxilium gratiæ. Dices non esse rationem, sed conditionem sine qua non; sed contra, quia in hac materia hæc duo non separantur, quia conditio sine qua non, licet physice non sit causa per se, sed per accidens, nec sit propria ratio effectus, tamen moraliter est ratio et causa, præsertim supposita lege, et quasi pacto sub tali conditione utique dandi auxilium, Si feceris quod in te est. Et ideo, sicut respectu totius prædestinationis non potest dari ratio ex parte nostra, ita nec conditio sine qua non. Idem autem est de primo gratiæ auxilio quod de tota prædestinatione. Item alias posset dari ratio ex parte nostra, cur Deus hunc vocet, et non illum, quia ad hoc satis est rationem reddere conditionem necessariam: ut, verbi gratia, quia hic fecit quod in se est, et non ille: consequens autem est contra Augustinum, d. quæst. 2 ad Sim-

plic., et dicta quæst. 6 et 8 ex octoginta tribus, et lib. de Spirit. et litt., cap. 34, et sæpissime. Unde Prosper, lib. 1 de Vocat. gent., cap. 23, alias cap. 9. in fine: *Profunditas (inquit) illius quæstionis, quam, secundum admirationem Apostoli, impenetrabilem confitemur, per liberi arbitrii velle et nolle non solvitur, quia licet insit homini bonum nolle, tamen nisi donatum non habet bonum velle.*

2. *Opinio affirmans videtur favere Semipelagianis.* — *Gratia vera, secundum Augustinum, quæ.* — Tertio, argumentum sumunt ex sententia Semipelagianorum, quia illi nihil amplius dicebant, nisi quod Deus, cum in homine aliquid bonæ voluntatis inspexerit, illuminat et confortat illum, etc., ut lib. 1 ex Cassiano et aliis visum est, et impugnat a Prospero contra Collator., cap. 4 et sequentibus. Quid est autem aliud, Deum dare gratiam facienti quod in se est, nisi, cum viderit in illo aliquem bonum usum liberi arbitrii, auxilium gratiæ adjungere? Ergo, sicut reprobata est ab Augustino, Prospero, Concilio Arausicano et Tridentino illa sententia Pelagianorum, ita non est admittenda illa lex, ex qua eadem doctrina sequitur. Nec enim locum habet responsio, quod Semipelagiani ponebant meritum gratiæ de condigno vel de congruo, nam hoc potius negabant, ut supra visum est; sed, quia affirmabant ex parte nostra aliquid posse præcedere, quod intuens Deus dat gratiam, hoc satis visum est ad eorum sententiam reprobendam. Imo non constat eos asseruisse hoc fieri a Deo ex certa lege statuta; et, quocumque modo id asseruerint, reprobatur: ergo multo magis ponendo legem et promissionem sub conditione; nam talis conditio inducit debitum legale, quod ad justitiam aliquo modo pertinet, secundum D. Thomam 2.2, quæst. 80, art. 1, nimirum, quia includit pactum et conventionem, in qua necesse est aliquam rationem justitiæ, saltem imperfectæ, fundari; ergo si illa admittatur, ratio gratiæ destruetur, quod est potissimum argumentum Augustini contra Semipelagianos, quia vera gratia debet esse prior omni merito, ut idem Augustinus in tota Epist. 105 et 106 prosequitur, et l. 4 contra Julian., c. 3; lib. de Patient., cap. 20, et alias sæpe: maxime vero toto lib. de Prædestin. Sanct., a cap. 2 et 3; et ex illo Prosper ad Excerpta Genuens., cap. 3 et 4, ponderans cum Augustino illud Psalm. 53: *Pro nihilo salvos facies illos*, quia non dixit, *pro exiguo*, sed *pro nihilo*. Idem contra Collator., cap. 6,